e-codices

cipere possint et morti tradere. Unde et dicitur in euuangelio. Circumdederunt eum iudei et dixerunt ei. Quo usque animam nostram
tollis. et cetera. Potest et synagoga hic in bono accipi et de apostolis intelligi. Synagoga inquit populorum id est letantes et gau
dentes de resurrectione tua te circumdabunt. Et propter hanc sub synagogam in altum regredere. id est in celum ascende.
Sicut ipse dicit. Nemo ascendit in celum nisi qui de celo descendit. Vt inde de synagoga iudeorum uindices. ut apostolis locum
preparet. iuxta quod dicitur. Nisi ego abiero et parauero uobis locum; Dominus iudicat populos. Euidenter loquitur propheta de christo. Christus
inquit. qui iudicatus est a iudeis. ipse iudicat populos. quoniam pater omne iudicium dedit filio. Iudica me secundum iusticiam meam.
hoc nullatenus ad dauid potest pertinere. cum ipse plurimis et magnis sceleribus inuolutus fuerit. sicut de uria etheo et bethsa
bee adulterio colligimus. Secundum iusticiam meam. id est secundum quod per te iustus sum. et in eo quod nullum peccatum feci. nec inuentus
est dolus in ore meo. Et secundum innocentiam meam. super me. iudica me. quia innocentia mea super me est. quia celitus mihi est data.
Unde dicitur. Omne datum optimum. et omne donum perfectum desursum est. descendens a patre luminum. Distat autem inter in
nocentem et iustum. quod omnis innocens iustus. non omnis iustus innocens. Verbi gratia. Serpens cum uidetur innocens non est iustus.
quia uoluntatem nocendi habet. Unde dicit salomon. Malus malum in manu tenens. non est innocens. Consumetur nequitia
peccatorum. Adimplebitur quidem et perficietur passio tua. sed iudeorum nequitia qua tuum nomen delere conantur consumetur. id est pe
ribit et frustrabitur. Quod tunc impletum est quando dixit consummatum est. Et diriges iustum. id est resurgere facies. et in celum ascen
dere. Scrutans corda. id est subtilissimas cogitationes. Et renes. id est uoluptates et delectationes. iuxta quod salomon de
eo intelligens dicit. Omnia corda scrutatur. et uniuersas mentium cogitationes intelligit. hoc sibi soli deus reseruauit. Nulli
dedit. neque angelis. neque hominibus. licet quibusdam signis quedam non omnia que cogitantur intelligant. Unde et dicitur. Scru
tans corda et renes deus. Iustum adiutorium meum a deo. Vox christi est qui per se iustus sum. iustum est et rectum adiutorium meum a deo
patre. Vt aliter ex persona dauid. iustum adiutorium meum a domino. ut inuenter a domino. quia in eo spem meam posui. Qui saluos facit rectos
corde. Recti corde sunt illi qui deum puro et simplici corde querunt et diligunt. Illi uero dolosi et duplici corde sunt. qui deum simul et
seculum querunt. Deus iudex iustus. Iudex est quia omnia iudicat. iuxta quod dicitur. Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit filio. Iustus
est quia pro meritis suis unicuique tribuit. Fortis est. quia nihil est quod ei resistat. Patiens est. quia diu peccantes sustinet. Numquid irascetur
per singulos dies. Subauditur non. hec interrogatio sub negatione est. Mitissimus deus non statim peccantes punit. sed expectat diu ad peni
tentiam. quia si quotiens delinquimus peccantes totiens puniret. nullus remaneret. sicut dicit propheta. Si iniquitates obseruabe
ris domine. domine quis sustinebit. Nisi conuersi fueritis; gladius. est bis acuta sententia dei quia et in presenti reos affligit.
et in futuro dampnat. ut aliter. Prudens propheta iudeos perseueraturos in malitia sua minatur eis penas. nisi ad fidem christi conuertantur.
Vibrauit inquit gladium suum. id est ultionem in uos exacuet. Gladius dei est christus filius eius. iuxta quod alibi dicitur. Viuus
est sermo dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti. Gladium uibrare est subtremulis uibris splen
dere. quod non per omnia lucet. sed alibi lucem spargit. alibi tenebras relinquit. Sic et christus in ciuitate iudeorum positus quosdam
illuminauit. quosdam in tenebris infidelitatis reliquit. Arcum suum tetendit. Arcus duo cornua habet. significat sanctam
scripturam que ueteri et nouo testamento constat. Unde est illud ezechiel. ostendit mihi librum exterius quoque parte scriptum intus
et foris. In quo continebantur lamentationes. carmen et ue. ut penitentia leticia et pena. Exterius quoque parte hic liber scriptus dicitur.
quia sancta scriptura allegoricum et hystoricum sensum habet. que monet penitentiam. et post ea promittit leticiam. ac impenitentibus
perpetuam penam. Hunc arcum deus preparauit sanctam scilicet scripturam. qua electos suos inter prospera et aduersa tuetur. Et in eo
parauit uasa mortis sagittas suas. Vasa mortis sagittas dicit. sicut et uasa belli uocat arma. hec uasa sanctos apostolos sig
nificant. de quibus alibi dicit psalmista. Sicut sagitte in manu potentis. ita filii excussorum. Filii excussorum sunt apostoli id est prophe
tarum qui excussi sunt id est expediti et ueloces. Vasa enim mortis dicuntur. quia eorum predicatio aliis extitit ad salutem. aliis ad dampnatio
nem. sicut apostolus dicit. Aliis sumus odor uite in uitam. aliis odor mortis in mortem. Sagittas suas ardentibus effecit. id est apostolis
suis ardentibus et sitientibus iusticiam suam preparauit; Ecce parturiit iniusticiam. Distat inter parturire et parere. Parturi
re est. ante partum dolere. Parere uero. partum effundere. De synagoga iterum psalmista praepostero ordine loquitur. Primum
enim est concipere. deinde parturire. ad ultimum parere. Cepit ergo synagoga dolorem. quando consilium iniit aduersus christum. Par
turiuit uero iniusticiam quando eum samaritanum appellauit. et in principe demoniorum uirtutes et signa facere dixit. Peperit
autem iniquitatem. quando christum tradidit. Lacum aperuit. Lacus dicitur a latendo. profunda scilicet aqua. cuius fundus non uidetur.

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 13 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/13)